

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Atlas minor Gerardi Mercatoris**

**Mercator, Gerhard**

**Amsterodami, 1610**

Aegyptvs

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-118360)

Regio.  
Nomina.

Situs.

Cæli temperies.


Animalium va-  
rietas.

**A**egyptus antiqua & nobilis Regio primum a Misraim filio Chus, nepote Cham, abnepote Noachi cul-  
ta est: quare a *Chamo Chemia* in sacris Osfridis vocata fuisse videtur, pro *Chamia*, ut ab alio *Misraim*, quâ  
appellationem etiamnum servat apud Arabas qui vocant *Mesre*. Turcis dicitur *Elquiber* vel *Elchebit*.  
Termini sunt ab Occidente ultra Nilum deserta Barca, Libya & Numidia, cum Regno Nubia. Ab  
Austro Agro Bugienfi & Nilo concluditur, quo loco Nilus ab Occasu in Ortum nonnihil fertur. Plinius eam  
finit Syene urbe, quæ nunc Asna dicitur. Ab Ortu sunt deserta Arabia, quæ inter Ægyptum & Mare Rubrum  
sita sunt. Ab Aquilone clauditur Mari Mediterraneo, quod ea parte vocatur Pelagus Ægyptiacum. Raro pluit  
in Ægypto, imo ut Plato tradit, nunquam visum est pluere in Ægypto, sed Aer perpetuum habet serenitatem,  
atque ob id fortassis olim dicta fuit *Aeria*. Terra tamen etsi pene expers imbrium mire fertilis & Hominum  
aliorumque Animalium perfoecunda generatrix. Nilus efficit, qui per medium ejus labens, & singulis annis  
terræ superficiem inundans, humectans, & adducto limo impinguans, foecundam, mireque fertilem eam red-  
dit. De hujus Soli felicitate multa passim extant scriptorum elogia. Iulianus solum ita fecundum asserit, ut  
alimentorum nulla terra feracior sit in usus Hominum. Veteres etiam plurimi publicum Orbis Horreum.  
Ægyptum esse prædicarunt. Plinius quoque asserit Romani Imperii amplitudinem absque Ægypti opibus  
Frugibusque diu perdurare non potuisse, cum in solo Nelo Populi Romani abundantia, vel fames esset. Idem  
etiam testatur, sic abunde Herbis ad cibum commodis Ægypti Agrum affluere, ut vel Frugibus carere pos-  
sit. Huc etiam pertinet illud Lucani:

*Terra suis contenta bonis non indiga mercis,  
Aut Jovis in solo tanta est fiducia Nilo.*

Summa in Ægypto est ubique Tritici, Siliginis, Hordei, Avenæ, Fabarum, aliorumque Leguminum: Vini  
etiam optimi fertilitas. Nec desunt pascua lætissima. Oleo tamen, ut plurimum, caret, raraque ligna isthic  
nascuntur. Præter bestias sævas ac nocuas, quibus hæc terra abundat, Animalia domestica mira copia alit,  
Bubalos, Boves, Camelos, Equos, Asinos, Arietes & Capras, quæ quidem omnia in magnam excreverunt mo-  
lem, teste Bellonio, ob Aeris temperiem, pabuli abundantiam, ac stirpium a Nilo irrigatarum bonum ali-  
mentum: inter reliqua vero Arietes pingues admodum, & crassi sunt, atque amplam & densam, atque ad ter-  
ram usque propendentem caudem habent, & palearia insupere collo dependentia, ut in Bobus, nigraque lana  
vestiuntur. Quia vero hæc Regio Hieme tepida est admodum ac palustris, in eam Aquaticæ Aves tanta copia  
commigrant, ut Agri & Prata iis albescant; præsertim autem Ciconiis: Ranæ quoque tanta abundantia isthic ge-  
nerantur, ut nisi Ciconiæ eas vorarent, nihil illis esset frequentius. Chamæleones etiam frequentes reperiun-  
tur, eodem Bellonio teste, in Fruticibus qui Rhamnus altera dicuntur, & in varios colores sese commutant,  
qui non

MARIS MEDITERRANEI PARS



Imperium majo-  
rium.

Urba.

qui non vento vescuntur, ut multi prodiderunt, quamvis ii integro anno sine esca perdurare possint. Per universam vero Ægyptum, Pulli gallinacci a Matre excludi non solent: sed Fornices artificiose extructas habent, in quibus tria aut quatuor Ovorum millia reponunt: quorum calorem ita temperare norunt, ut omnia Ova simul excludantur. Quod & Antigonus, Aristoteles & Plinius de Ægyptiis prodiderunt. Metallis insuper Regio hæc perpetuo abundavit. Ceterum universa olim Ægyptus floruit sub variis Regibus diversorum nominū usq; ad *Ptolemaos*: nam *Pharaones* admodū pauci fuere. *Ptolemai* longo tempore regnarunt, usq; ad Romanorum Imperium, quo præfracto res Ægyptia pervenit ad *Agarenos* Arabiæ Felicis, quorum Princeps *Sultanus* fuit dictus, & alii sequentes quoque vocati sunt, *Sultani*, Mahumetani omnes, regnarunt multis annis donec a Turcis expugnati fuerunt. Possidet jam totam Ægyptum *Solymanus* Turca, relicto ibi Præfecto, qui *Baxa* Ægypti dicitur. Divisa fuit ab Alexandro Macedone in Nomos sive Opidorum Præfecturas, quales Herodotus ponit xv i i i. Strabo unum amplius. *Ptolemæus* xl v i. *Plinius* l. qui & addit quosdam nomina permutasse, ut proinde non sit putandum tot Ægypti olim Præfecturas fuisse, quot apud Historicos nomina possunt colligi, quum ejusdem Præfecturæ plura nomina esse potuerint. Leo Africanus auctor est a Mahumetanis in tres Provincias divisam esse. *Sabid* quæ est superior sive *Thebais*, a finibus Bugiæ ad Cairum usque. *Errisiam*, quæ est pars Occidentalis a Cairo ad Rosettum: & *Maremman* quæ est pars Orientalis. Urbes Ægypti sub Amaside creduntur fuisse xx mille. *Diodorus* tria millia suo ævo superuisse testis est. Celeberrimæ fuerunt *Syene*, *Thebe*, quæ & *Diospolis*, *Tentyra*, *Heliopolis*, *Memphis*, *Babylon*, *Alexandria*, *Pelusium*. *Syene* nunc *Afna* dicitur: Sita sub Tropico Cancti: Hic, teste *Plinio*, Puteum habuerunt Mathematici profundissimum, quæm rectis lineis sol totum illustrabat, quum esset in principio Cancri. Quo respexit *Lucanus* lib. i i. *Umbras* usque *Heclente Syene*. *Thebe* condita a *Busiride* Rege ambitu cxi. stadiorum, ut refert *Herodotus*, centum portis, alijsque ædificiis publicis privatisque insignis, quæ jam olim esse desiit: adeo ut recte *Juvenalis* scripserit satyra xv his versibus:

*Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis.*

Et *Propertius* lib. i i.

*Magni sæpe Duces, magni cecidere Tyranni,  
Et Thebe steterant atque Troia fuit.*

*Tentyra* ab Insula Nili nomen habet: Incolæ *Tentyritæ*, qui naturæ genio *Crocodilis* adversi sunt: qua de re apud *Strabonem* & *Plinium* videre est. *Heliopolis*, olim Sacerdotum habitatio, *Straboni* Hominum Altronomiæ & Philosophiæ deditorum mansio. *Memphis* olim *Arsinoe*, regia urbs, ubi Nilus primam accipit divisionem & Δ formā facit. Hanc hodie vocant *Cairum* vel *Alcair*. Urbs est triangulari forma extructa, ambitu, secundum nonnullos xi v seu xv Milliarium. Templorum continet viginti duo millia, quinquies major *Lutetia*, ut refertur Tomo i i Urbium Orbis Terræ illustrium, in aliquot quasi partes, Urbes & Regiones divisa, ita tamen ut cunctæ contextæ cohercant. Arce instructa tam spaciola, ut par magnitudine *Lipsiæ* esse existinetur. Incolunt eam Turcæ,

Turcæ, Egyptii, Arabes, Hebræi, aliique. *Babylon* paullo supra *Cairum* ponitur a *Bellonio*, conspiciunturque adhuc splendorum ædificiorum ruinae. Hic nunc est Christianorum pagus *Alexandria* nobilis olim & splendida urbs ab *Alexandro Magno* in extremitate Maris Mediterranei loco situq; pulcherrimo condita: Turcæ *Scanderiam* vocant. Straboni μέγασον ἐμπόρον ὀικισμένης, ubi τῶν βασιλέων βασιλεία καὶ τὰ τέλη, id est preciosa- rum Mercium preciosa vectigalia: πνευματικῆς παιδείσεως ἐργαστήριον Nazianzeno, propter Scholam eruditam, frequenter & celebrem, de qua apud *Eusebiū* lib. v. i. cap. x. Deserta nunc & in ruderibus jacens majori ex parte *Curtius* & *Amnianus* scribunt, nullo fere die *Alexandriæ* Solem serenum non videri, propter Aerem perpetuo ibi tranquillum. *Alexandriæ* Ecclesiæ & Scholæ Doctores fuerunt *Clemens*, qui *Alexandrinus* dicitur: *Origenes*, *Ambrosius*, item *Diaconus*. *Alexandri* etiam fuerunt *Philofudæus* doctissimus, ac in lingua Græca eloquentissimus: *Cyrellus*; *Didymus* è parentibus cæcus, D. Hieronymi Præceptor; *Appion* Grammaticus Polyhistor *Gellio*; *Appianus* Historicus; *Didymus* Grammaticus, qui *Ciceronis* ætate vixit, & tria millia & quingenta volumina conscripsisse a *Suda* proditur; *Achilles Staius*; & *Claudius Ptolemaus* Princeps Mathematicorum. *Pelusium* hodie vocant *Damiatam*, urbs est potens, opulenta, commodo Portu & navium frequentia celebris, ad *Nili* Ostium *Pelusiacum*. Regio hæc fluvio *Nilo* totius Orbis nobilissimo secatur, irrigatur, ac fecundissima redditur. Ortum notavit *Rex Iuba* in Monte Inferioris *Mauritanæ* non procul Oceano habere, Lacu protinus stagnante, quem aiunt vocari *Nilidem*. Aliis alia mens est. Ex hoc Lacu profusus longo cursu varias Regiones & squalentia arenis loca percurrit: postea multas efficit Insulas, quarum clarissima est *Meros*, a qua quartus *Parallelus* *Ptolemaicus* nomen accepit: ejus rimum dexterum dicit *Plinius* vocari *Astusapen*, lævum *Astaborem*, nec ante vocari *Nilum*, quam se totum *Aquis* concordibus denique junxerit. Tandem inclusus Montibus, torrentibus & properantibus *Aquis* ad locum vehitur, qui *Catadupa* vocatur: ibi inter occurstantes scopulos non fluere, sed præcepss cataracte ruere creditur, tanto fragore, ut auditū Adcolis auferat. *Ditionis* *Ægypti* esse incipit a fine *Æthiopiæ* *Syene*. Post efficit illud Græcorum *Delta*, & divisus in *Ostia* se in Mare exonerat. *Ostia* hodie sunt quatuor, quorum duo navigabilia, *Pebusiacum* ubi *Damiata*, & *Canopicum* sive *Heracleoticum*, ubi *Rosetum*. Certis etiam diebus auctu magno per totam spatiat *Ægyptum* fecundus innatat terræ, pluviarum inopiam compensans. Initium est v. i. Junii; finis post diem quadragesimū, non post centesimum, ut scribit *Herodotus*. Major autem lætitia gentibus quo minus terrarum suarum vident; nam quæ inundantur sunt fertilissima, cetera sterilia, & quo altior *Nilus*, eo solum fecundius. Auctus ejus per putos mensuræ notis deprehenduntur. Sed hæc hæcenus, ad reliquas *Tabulas* transeamus.

Flumen Nilus.

E e e

PARS